DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
DE
HERNIIS IN GENERE

Quam

Favente Deo Ter Opt. Max.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JODOCI à GESSELER, J.U.D.
ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Ducatûs GELRIÆ, & Comitatûs ZUTPHANIÆ Academiâ, quæ eſt HARDERVICI, Profeſſoris Ordinarii,

NEC NON

Conſenſu Ampliſſimi Senatûs Academici, & Nobiliſſimæ Facultatis Medicæ decretô,

Pro gradu DOCTORATUS, ſummisque in MEDICINA honoribus & privilegiis ſolitis ritè conſequendis,

Examinandam Publicæ Eruditorum diſquiſitioni ſubmittit

ADAMUS HARWECK Regiomont. Pruſſ.

Ad diem 5 Julii horis locôque ſolitis.



HARDERVICI,

Apud ALBERTUM SAS, Academiæ Ducatûs Gelriæ & Comitatûs Zutphaniæ Typogr. 1688.

VIRIS
NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, DOCTISSIMIS,

DNO. JOHANNI HEINRICO STARCKE, Phil. & Medic. D. P.P. & Adjuncto Facult. Medic. Alm. Regiomont. Præceptori, Fautori ac Patrono Venerando,

DNO. PHILIPPO JACOBO HARTMANN, Phil. & Med. D. & Adjuncto Facult. Medic. Alm. Regiomont. Præceptori, ac ſtudiorum Directori Unico, Patrono Colendo.

UT ET

NOBILISSIMO, CLARISSIMO

DNO. CHRISTOPHORO DULTZEN, Scabin. apud Regiomont. Veter. Urb. Graviſſimo Affini ac Patrono Dilecto.

NEC NON

AMPLISSIMO, PRÆSTANTISSIMO

DNO. GEORGIO HARWECK, Mercatori apud Regiomontanos, Florentiſſimo Fratri Amando.

Diſputationem hanc Inauguralem eâ qua par eſt reverentiâ offert & inſcribit

ADAMUS HARWECK

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HERNIIS IN GENERE,

PROOEMIUM.

INfelix Medicinæ atque Chirurgiæ divortium, Artem omnium Nobiliſſimam, in infinitas præcipitavit errores: ita, ut Nomine Chirurgico non Scientifici ſolum, laude ac fama non defraudandi, verum magni æſtimandi, normam ac Cenſuram artis, Anatomiam & Chymiam puto, attendendo, hujusque ductu athleticè morbos profligando; ſed & Barbitonſores, Agyrtæque ovent: dictis circulationem ſanguinis, ſtructuram corporis neſcio quid proferentes; at praxis liquido ignorantiam oſtendit, dum contrario modo procedunt, applicando non optima Medicamenta, quæ invenire non valent inſcitiâ Magiſtrâ, ſed quicquid Magiſter à Magiſtro exſcripſit concinnâ certè aliquando doſi ac methodo in uſum vocant. Hernia eſt non infimus errandi eorum campus, dum ferè ſine diſcrimine exciſionem Teſticuli inſtituunt, ac ſi in Anatomiâ Suillinâ praxin haberent; ah modo hac rite imbuti: brevibus in ſubſequenti diſputatione de hac ſum acturus.

THESIS I.

PEritonæum membrana, totum veſtiens Abdomen, ne partes contentæ ſitu excedant, duplex præprimis inferiori parte, mirè perreptans muſculos abdo-

minis, proceſſibus, exceptis rectis, Teſtibus maſculinis donat primam propriam tunicam, Elythroïdem dictam, qua muſculus cremaſter, ſurſum trahens ſuſpenſoſque Teſtes tenens alligatur: hi Teſtes glandulosâ ſubſtantiâ multis lymphaticis inſtructi, ſanguinem diſponunt, quem adhærentes Epididymides prolificum reddunt, involvunt nominati proceſſus vaſa præparantia cum deferentibus; in fœmineo ſexu deſinit in os pubis.

II. Ruptio aut relaxatio hujus peritonæi, hernia, ramex &c. dicitur (ruptionem fieri in magnis herniis) quod variis in locis fieri poteſt rarò ſupra umbilicum, ſed ut plurimum infra, locus ordinarius inguen, ſcrotum, umbilicus, partes omentum inteſtina &c. ut hernia ſit prolapſus partium infimi ventris ad varia loca externa relaxato aut rupto peritonæo, Tumore diverſæ materiæ nunc doloroſo nunc minus doloroſo.

III. Dilatationem aut ruptionem excitare poſſunt omnis motus corporis nimius aut vis externa; quo partes æque quam par dilatatæ aut contuſæ peritonæum relaxant, unde circulatio tam ſanguinis quam lymphæ impeditur, & aucto malo rumpit peritonæum, prolapſus inteſtinorum feſtinanter ad ſcrotum ſequitur, credibile non videtur, peritonæum ex improviſo rumpere, niſi diſpoſitio aliqua adſit, cum membrana ſatis firma, verum ſequi dilatationem; hinc tumor non ſemper de ſubito initio aſt ſenſim auctus, hanc ruptionem in Enteroſcheocele ſtatuimus magno, nec in aliis, in umbilicali, rariſſimè obſervatum cum muſculi expanſioni cedunt, impedito ſic motu materia ſtagnat, acriorque reddita in molem ſurgit capillaria erodens indureſcit Sarcocelen relinquens aut cirſocelen: diſponunt & mul-

multum tribuunt cibi duri flatuoſi &c, qui calore nativo non ſubigi poſſunt tam facilè, & ſuis cruditatibus inter excludendum flatibus inteſtina premunt, quod noci-vum, (ex aſſueto & intermiſſo coitu, novi vaſa ſpermatica in tantam molem ſurrexiſſe ut hernia crederetur.)

IV. Dicta loca ordinaria herniarum replentur non ſemper partibus prolapſis, verum & alia materia, aut partes prolapſæ hac conjunctæ apparent, hinc differunt herniæ ratione partis excedentis, loci quo fiat prolapſus, & materiæ incluſæ: ſi omentum dicitur Epiplocele inteſtina Enterocele, in inguine bubonocele, ſcroto, oſcheocele, umbilico ompholocele, ſi aqua hydrocele, flatus pneumatocele, caro ſarcocele, & ſe manifeſtat ſolum vel in uno latere vel utrinque, his annumeratur cirſocele tortuoſitas & expanſio vaſorum circa teſtes: datur & in multis propagationibus hernia hæreditaria, de aliis differentiis hic non ſolliciti, cum propriè hujus loci non ſint, mulieribus ſaltem fiunt herniæ inguinales, magis obnoxiæ prolapſui uterinarum partium.

V. Tactus & viſus cum ſenſu ægroti ſigna exhibent hydrocele tumorem ponderoſum lumini oppoſito pellucidum fluxu & refluxu ſine dolore relinquit, (aliquando aſpectu ſolum aquoſa carnoſam tegit, & vel circa ſcrotum ſolum uti circum teſtem) pneumatocele cognoſcitur ex translucido tumore haud ponderoſo nec duro & æquali figurâ, ſarcocele ex Duritie & inæqualitate, cirſocele palpitatione & colore, Enterocelen alvi obſtructio, dolor, inflammatio, imo iliaca paſſio, vomitus &c. indicant. Epiplocele, judicatur inæqualitate, mollitie, lubricitate, nullo dolore, facile per ſe reditum quærens.

 VI. Ex-

VI. Experentia, Theoria conjunctim docent pueris felicius & facilius reponi ac curari quam ſenibus, ob callositatem ad labia peritonæi, unde difficilè conjunctio ſperanda: inteſtina aliaque quamprimum reponenda, nam de facili ob compreſſionem, putredinem, inflammationem, gangrænam ob contorſionem concipiunt, iliaca paſſio ſequitur, & vomitus, qui ſuſpectus, flatus, aqua diſcutienda aut educenda ne indureſcat, ſarcocelen ſenſilem adhuc curari citra ſectionem, inſenſilem non, facilius relaxationes ruptionibus curari.

VII. Paucis antequam curam aggredior, quodnam inteſtinorum prolabitur, item an omentum in inguine aut ſcroto excitare poſſit herniam, cum ſæpiſſimè videmus in ſcroto non inteſtina ſed aliud corpus eſſe: craſſa inteſtina prolabi minimè poſſe Anatomia ocula-riter demonſtrat inter tenuia ileon longiſſimum omnium, cui & cætera ſequi multi teſtantur, jejunum illud eſſe oportet, aſt illud citra lacerationem à meſenterio fieri minimè poteſt, unde periculum Vitæ ob multitudinem vaſorum lacteorum & lymphaticorum inflatio abdominis manifeſto adeſſet ut Tympanites: ileon ſuâ longitudine implere ſcrotum poteſt, nec ipſum citra lacerationem prolabi veriſimile videtur, nec adhuc oſtenſum. Omentum inguinalem herniam aut ſcrotalem procreare dicere non poſſumus, cum non in omnibus ad os pubis tendat, ſed ad umbilicum uſque, firmiterque ventriculo annectitur, ergo iſtæ expanſiones non ſemper relaxationi omenti potius duplicaturæ peritonæi ab alliſione extruſæ adſcribendum (bubonocele & oſcheocele non realiter differunt ſed ſecundum magis & minus hic perfecta, ibi imperfecta eſt Hernia.)

VIII. Cura

VIII. Cura ſemper à lenioribus inchoanda, reponenda elapſa quam primum fieri poteſt non violenta intruſione, ſed blanda, ne proceſſus magis dilatentur, prorſus rumpantur, ſi flatus faeceſve obſtant, prius auferenda clyſteribus, fotibus carminativis ac reſolventibus, ſetaceo interne ſimul adhibitis; factâ repoſitione opera danda in junioribus ligaturis, quae tamen utplurimum recedunt loco, in adultis perizomatibus retinere, donec peritonaeum conjunctum, aut ad muſculos adjacentes abdominis accrevit, interiora tam diaeta quam medicamenta talia eſſe debent, quae corpus facile reſolvit & excernit citra moleſtiam humidâ forma, vulneraria alias dicta; alvuſque ſemper lubrica ſervanda, decubitus ſupinus & quies omnibus palmam praeripiunt, adſtringentia illa acida & Terreſtria magis nociva quam proficua, vellicantes menbranas, quo partes ad motum excitentur, figmentum Cerebri acſi ad locum penetrarent, vique ſuâ ſingulari adſtrictoriâ conſtringerent, uti vulgo, videte circulatores? in ſubligaculis differentia notanda, nam in hydrocele commune aliquod comprimeret partes, putredinem aliaque excitaret, alias totum artificium in hoc conſiſtit, ut debitâ magnitudine ſpatium cooperiat.

IX. Aliquando pertinaciſſimi ramices nullo modo reponendi citra inciſionem, quod ſaepius contingit, cura tunc difficilis: miror quid Emplaſtra hic valent adſtringentia Arcana dicta, certè putant ex quovis ligno fieri Mercurium, ab Atavorum Atavo exſcripta modo quo videantur ſe aliquid praeſtitiſſe, cum unctuoſitas poros occludit, accretionem impedit magiſque diſponit ad prolapſum: alii coquunt ad duritiem, ſicque ſibi fingunt vim elaſticam, ſuâ duritie retinere partes, ſed

quid

quid virtutis capiti mortuo ineſt: quidam Empyricorum more oleum ovorum laudibus ad cœlum extollunt, aſt manifeſto pompoſa jactantia ignorantiam parit, & oculati cæcutiunt, nam ſine perizomate nil valet, quod ſolum idoneum retinere prolapſa, ſemperque corpus præparandum.

x. Præparato corpore, externa adſtringentia adhuc valerent, adjuncto tamen perizomate, ſi his nil proficimus, nec conjunctio ſperanda, cirſocele, ſarcocele medicamentis non cedunt; Sectio ultimum inſtituenda, ſed conſideratè; ruptionem antiqui factâ inciſione, per cutem ferro, ſed peſſimè curabant, facillimo enim negotio ſpermatica læderentur, aut his ſalvis deciſâ eſcharâ malum recurreret.

xi. Excogitarunt in ruptione aut nimia dilatatione alii punctum illud Aureum, filo nempe Aureo ligare vaſa ſpermatica ac deferentia; aſt omne quod peregrinum corpori, tandem putrefacit, ſicque concluſo vulnere recidivum fieret malum, etiamſi ſit aureum, ſi nimis arcta fiat ligatura compreſſione vaſa mortificationem ſentirent, ſi laxa herniam minimè retinerent, nec tangerent lacerationem, quod inter muſculos eſſe poſſit, ergô inutilis operatio nec à ſcientificis in uſum provocatum vidi: ſæpius agyrtas vidi inciſâ cute, ſtyptico aliquo humido proceſſus illinere, vulnus conſolidare, nunc cum ſucceſſu nunc cum detrimento artis, ita ut æger intra ſpatium 24. horarum obierit, apertio partes gangrænâ affectas oſtendit, ut & de his abſtinendum.

xii. Sectio non ſine periculo, nec inſtituenda in cacochymico imbecilli & ſeni, aut indebitè præparato, niſi operator manifeſtiſſimè homicida nuncupari deſiderat, locus igitur ſit planus, prolapſa omnia repoſita:

ſed

ſedreſciſione Teſtis ſteriles evadunt niſi injuventute, cum adhuc generant, experientia confimatur, aſt ſemine jam prolifico minimè, nonne melius idoneo perizomate incedere & generare, quam privatione virilitatis Eunuchum agere.

XIII. Sarcocele aut Cirſocele admodum moleſtam ſectionem poſtulant, hic ſemper cum reſciſione Teſticuli, ibi non de jure ſed de inſcitiâ exſtirpatur, putantes, aliter fieri non poſſe; cum non viderint, ſarcocele laxiori ſæpius membranâ à Teſte diſtat, quo facile ſeparari poſſit, at quis Chirurgorum ita dictorum tantæ peritiæ; ſi arctè, tentandum incumbit viro Cordato an darton ab Elythroide, & hanc à Teſte vel cremaſtere ſeparare valeat, & hoc fruſtra ad reſciſionem Teſtis, aliis omnibus tentatis ſe accommodare.

XIV. Factâ inciſione Teſtes eximendi & liberandi cum vaſis, ſi non ad muſculos ligaturam ponunt de novo hernia excitatur germanice *der oberbruch*, Hæmorrhogia nimia, neſcientes ſitum vaſorum cruralium excitatur, unica illa aqua ſtyptica Anglica ſiſtatur nec larga ordinariò ſequitur niſi dicto modo: facta ſutura expectant oleoſis, balſamis unctuoſis maturationem, hujuſque generatio ægroti eſt interitus, putrefactis internis fit gangræna, unde vitam cum morte permutat, cum longè Nobiliora eſſent medicamenta, aſt

Errarunt Patres & Nos Errabimus omnes.

Tantum.

SIc igitur non vanus eram, *Phœbeïa proles*,
Harwecki, vates, nec mihi fulſit ebur,
Cum Tibi triſte vale dicenti: grandius, inquam
Vel Phario Latium det Tibi Delta, precor.
Hard'vicum Tibi Delta parat. Labor improbus iſthæc
Præmia ſollicitæ ſedulitatis habet.
Hernia, quæ titulis præfixa eſt, eſt *onus* ægris;
At, precor, ut medico hæc *Hernia* fiat *honos*.

*His paucis de Herniis pro Gradu Doctoris
Medicinæ diſputanti Præcellent.
Dn. Harweckio gratulatur*

JOHAN HEINRIC. STARCKE

Ph. ac Med. D. PP.

SI *Medicas* ars ulla *manus* mortalibus offert,
Hæc eſt, *quæ manibus* ſedula *præſtat opus!*

*De cujus cum Medica feciliter juncto connubio
Diſcipulo ſuo, induſtrio, grato, ſupremos
artis Apollineæ honores aggredienti,
gratulatur*

PHILIPPUS JACOBUS HARTMANN
Phil. & Med. D. PP.

ADdecet, in *ſummi*, *dignum*, ſe ſiſtere *Honoris*,
Quem *ſua ſedulitas* reddidit *alta*, *loco*.
Propterea *noctes* operamur namque *dieſque*:
Suavis & *inſomnis Nox*, & *acerba Dies*.
Sic *rectè* ſentis, quod ſcandas *Docte Cathedram
Harwekci ſummam*, *præmia digna ferens.*

pernoc-

Pernoſti *Coum*, latet & non *Forma Galeni*,
Nec *ſua Paræi*, *cætera* & *ampla*, *Seges*.
Sed quid tam ſerò? quod non ſuffecerit *intus*,
forſan; curaſſe; & geſtiit *extus* idem
Hic Honor, ut voveo, ſit lætus, commodus ægris,
Sit Tibi præclarus, gratus & uſque Deo.

Feſtinanti Calamo, ſed animi ſui promptitudinis & Amoris conteſtandi ergò integerrimi Regiomontô tranſmittit

RUDOLPHUS AUGUSTUS LITIUS
Ph. & Med. C.

TAndem Saturnus Jovi,
Et Apollini ceſſére Satyri.
Non enim
Gemuére Poli ſemper:
Poſt nubila Phœbus.
Spinoſam calcare viam cum Hercule juvat,
Quò ſenticoſa vitiorum vitetur meta.
E ſpinis carpenda Roſa:
E Bello, Pax ſecura quærenda:
Et è maris periculo, margarita.
Non prodiit unquam Pallas ex cerebro Jovis,
Niſi ipſius dolorem finderet Vulcanus.
Dura lapis ſudat Gemmas,
Et tenebræ Phoſphorum illuminant,
Ut contraria juxta ſe poſita, magis eluceſcant.
Arbores ſunt proceræ,
Quoniam anteà parvæ:
Nec viola matronalis deſpicatui,
Quoniam vel maximis florum præſtat odoratu:
Quid impedit ſquallere magnetem,
Cum maximam de ſe fundat virtutem.
Hæc Tibi
Nobiliſſime, Doctiſſime, & Experientia probate Domine
ADAME HARWECK.
Doctorando dicuntur:
Hactenus enim & Tuos invidus ille deglutivit liberos,
Quoniam tàm libere vacabas libris:

Ac-

Acceſſerant frivola Satyrorum certamina,
Sed ecce Tuum Jovem!
En Apollinem!
Itane ſatius Antarcticum ridentem videre ſub Arctico plorante?
Quid nubila, ſi jubila?
Agedum!
Seca, diſſeca, Hydræ Lernææ capita:
Et hoc olim meminiſſe juvabit.
Vel ab incunabulis,
Non inter Roſas ſed ſpineta educatus
Nomen enim & Omen habes *Adami*.
Quamvis non quævis *Terra Virginea* è Paradyſo prodëat:
Nec omnis omnia ferat tellus:
Gaude tamen
Quod te ſentes ſenſerint,
Et pallida Pallas ex pallore Tuo roſas jam carpat minimè pallidas.
Agnoſcit hoc gratiſſima,
Et victrices ſpinetis imponit lauros
Neptuno margaritas addente.
Sed neque deeſt Tibi Vulcanus
Qui cranium aperiat Jovis,
Ut exultet Tua Pallas
Nitore, Lumine, Flore, Fragore, Virtute.
Nitore:
Paucis enim ſecunda.
Lumine:
Quia ſoles fundit.
Flore:
Surgit enim altior.
Fragore:
Quid illius fama ſuavius?
Virtute:
Omnes quippe poſt ſe trahit.
Sic perge feliciter!
Et manebis
ADAMas & ADAMAtus.

In ſinceram amicitiæ Teſſeram cum omnigenâ felicitatis voto apponere debuit
ABRAHAMUS HARTWICH
S. Theol. & Phil. Stud.